



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio I. De potentia intellectiua quæ in Deo est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

DISPUTATIO III.

De perfectione intellectus divini, siue de multiplici eius scientia. S. Thom. quæst. 14.

15. 16. 17. 18.

Post explicatam scientiam illam, quæ haberi à nobis potest de Deo, tum in via tum in patria, transeo nunc ad thesauros illos sapientiæ, ac scientiæ Dei, quorum radiis perstricta humana mens, confiteri cogitur domino, quia terribiliter magnificatus est, inquit Chrysost. homil. 1. quia scilicet mirabilis facta est scientia eius supra nos, confortata est & non poterimus ad eam. Sunt autem consideranda potissimum in ea quinque, primò, sapientia, & scientia Dei generatim. Secundò, scientia simplicis intelligentiæ quæ cognoscit possibilia. Tertiò, scientia visionis quæ cognoscit absolute futura. Quartò, scientia media quæ cognoscit futura sub conditione. Quintò, scientia practica, & Ideæ.

QVÆSTIO I.

De sapientia & scientia diuina generatim.

Ingredimur ergo profunda Dei, & sublimem illam mentem quasi sine mente, sine ratione, sine nomine, atque adeo sapientiam sine sapientia ut ait Dionysius cap. 7. de diuinis nominibus spectare nitimur in caligine, ubi occurrunt videnda quatuor. Primò, potentia ipsa intellectiua Dei. Secundò, multiplex eius obiectum. Tertiò, multiplex eius actus. Quartò, multiplex eius diuino.

SECTIO I.

De potentia intellectiua quæ est in Deo.

Art. 1. & 4.

Certum est primò, in nullo vero sensu negari posse quod in Deo sit verus, & propriè dictus intellectus. Quia primò, scripturæ ac Patres intellectum & sapientiam Deo absolute tribuunt, *Qui fecit cælos in intellectu, & altitudo diuinarum sapientia, & scientia Dei.* Cyrill. lib. 11. *Theauri, Deum appellat supremum, & optimum intellectum,* Irenæus lib. 2. c. 42. *Deus (inquit) totus existens mens, & ratio.* Damascenus lib. 2. cap. 15. *dicitur Deus intellectus, & ratio.* Deinde probat hoc S. Thomas art. 1. & lib. 1. contra gentes cap. 44. optimis rationibus, quia Deus est immaterialis, quia cum sit primum mouens omnia in suos fines dirigit: quia intellectus est supremus vitæ gradus, & perfectio simplex, nam tamen vnus est, quodam tamen modo est omnia.

Certum est secundò, intellectum esse non posse in Deo, quin sit etiam in Deo potentia intellectiua, capacitas & facultas intelligendi. Ratio est quia, huiusmodi potentia sumi potest tripliciter primò precisiuè prout significat id cui non repugnat actu intelligere, abstrahendo ab eo quod Deus actu intelligat, quemadmodum benè Deus dicitur posse actu existere, ego qui actu loquor, dicor posse loqui, si enim non possem loqui, actu non loquerer. Nam hæc possibilitas non est aliud quàm non repugnantia. Secundò sumi potest negatiuè prout negat actualem intellectionem, sic quando Petrus non est, dicitur posse actu esse, illa possibilitas negat actualem existentiam Petri, qui quando erit, non erit amplius possibilis & ego possum actu intelligere id quod non intelligo actu. Tertiò, sumitur effectiue pro facultate

Tom. 1.

producendi vitaliter in se actualem intellectionem, & illam recipiendi, & hoc est quod propriè vocamus actum primum intelligendi ut statim dicam. Si sumatur primo modo potentia intelligendi, tam certum est illam esse in Deo, quàm certum est esse in Deo intellectum: si sumatur negatiuè certum etiam est illam esse non posse in Deo qui est simplex, actus purus & infinitus.

Tota ergo difficultas esse potest de tertio sensu in quo potentia, sumpta quasi effectiue significat actum primum intelligendi, & queritur vtrum sicut est in Deo perfectio correspondens intellectioni actuali quæ in nobis est actus secundus, sic etiam sit perfectio altera quæ correspondeat actui primo qui dicitur in nobis facultas intelligens & est prior intellectione actuali, adeò ut possimus concipere in Deo aliquid, quod nostro modo intelligendi antecedit intellectionem, tanquam principium eius effectiuium, & receptiuum, siue primò, illud principium sit actus primus radicalis respondens substantiæ creatæ intellectiue: siue secundò, sit actus primus proximus, & formalis respondens potentia intellectiue speciei, & habitui creato: siue vtrum in Deo reperiatur perfectio illa quæ constituit in creatis actum primum intelligendi.

Ratio ergo dubit. primò est quia in Deo non est impotentia ad intelligendum; potest enim intelligere, ergo est potentia, ergo actus primus qui non significat aliud quàm potentiam. Deinde ubi est actus secundus, ibi necessariò esse debet actus primus, in Deo est actus secundus intelligendi, & volendi qui refertur necessariò ad primum, ergo est necessariò actus primus. Quomodo? enim potest aliquid esse secundum ubi nihil est primum. Denique ut intellectus Dei concipiatur ad modum actus primi sufficit ut concipere possim in Deo vim intelligendi, non concipiendo actualem intellectionem, sed possum intelligere illam vim in Deo non cogitatâ intellectione actuali, ergo possum intelligere in Deo actum primum intelligendi. Minor probatur possum intelligere in Deo intellectiuium radicale, non cogitando intellectiuium formale. Intellectiuium radicale nihil aliud est quàm vis intelligendi in actu primo: ergo possum intelligere vim intelligendi in actu primo siue actu secundo.

Secundò, sicut datur in Deo potentia generatiua, quæ verum est principium filij immanenter geniti, & ipsius generationis, sic non est absurdum ponere in Deo potentiam intellectiuiam, tanquam principium intellectionis, videtur enim par esse ratio. Nam quamuis potentia generatiua ut sic non sit receptiua, tamen in Deo cum sit immanenter operans, non minus est receptiua quàm intellectus. Neque satisfacit Herice cum ait potentiam generatiuam in Deo non esse principium generationis actiue, sed termini producti, quia sicut non implicat dari potentiam generatiuam termini producti immanenter, sic neque implicat dari potentiam productiuam termini actualis.

Tertiò, datur in Deo scientia libera, illa est actus primus intelligendi ergo, &c. Minor probatur: actus primus sciendi nihil aliud est quàm potentia ad sciendum cum carentia scientiæ actualis, sed multa Deus posset scire per scientiam liberam quæ actu non scit ut patet, ergo scientia libera est actus primus. Confirmat. primò, Deus ab æterno habuit potentiam non sciendi ea quæ scit, ergo etiam in tempore habet illam potentiam. Antecedens patet: quia potuit Deus ab æterno non decernere creationem eorum quæ sunt actu, atque adeò habuit potentiam illa non sciendi.

Consequentia est etiam euidens, quia si ab æterno potuit Deus transire sine imperfectione ab illo

Scaturit
contro-
uersia.

Prima dubitatio.

Secunda
dubitatio.

Tertia dubitatio.

K

statu

statu potentie sciendi, ad actum sciendi, & ab indeterminatione ad determinationem, quare nunc similiter in tempore non potest. Confirmat. Secundo, quia scientia libera solum superaddit respectum rationis actui necessario: ergo sine mutatione posset aliquid de nouo scire, si de nouo esset aliquid futurum, & scibile.

Conclusio negatiua. Dicendum tamen est, nullum etiam per rationem esse posse in Deo actum primum intelligendi aut volendi proprie dictum, vel formalem, vel radicalem, siue ille sit potentia, siue species impressa, siue habitus. Ita post Aureolum, & Gabrielem censent Suarez disput. 30. Metaph. sect. 15. Herice disput. 2. cap. 3. Arrubal. disput. 38. cap. 5. Fasolus art. 4. contra Molinam, Vasquem, Albertinum, & alios recentiores.

Ratio. Ratio autem optima est quam habet Herice loco citat. nullum attributum existit in Deo formaliter quod excludit simplicitatem, puritatem, & infinitatem, sed actus primus & potentia intelligendi proprie sumpta, prout distinguitur ab actu secundo excludit hæc tria, ergo actus primus intelligendi proprie dictus non est in Deo, etiam per rationem. Probo minorem, illud quod essentialiter includit receptionem & distinctionem excludit simplicitatem puritatem, & infinitatem: actus primus intelligendi proprie dictus essentialiter includit distinctionem & receptionem, ergo excludit simplicitatem. Probo minorem, actus primus intelligendi, prout distinguitur ab actu secundo, constituitur formaliter, per vim productiuam, & receptiuam intellectionis: sed vis productiuam, & receptiuam intellectionis, formaliter includit distinctionem, & receptionem, nam ubi est productio, ibi est distinctio realis. Ergo actus primus intelligendi proprie dictus formaliter dicit receptionem, & distinctionem. Probat. maior actus primus intelligendi constituitur per aliquid quod non potest esse illi commune cum actu secundo intelligendi, sed nihil aliud conuenit actui primo, quod actui secundo non conueniat præter virtutem productiuam, & receptiuam, ergo per illas constituitur actus primus intelligendi.

Prima euasio.

Neque dicas primo, actum primum constitui per id, quod antequam concipiatur Deus actu intelligere, concipiatur ut substantia completa, & quasi radix personalitatis omnino independentis; nam ut sic neque concipimus Deum, actu intelligere, neque habere proximam virtutem ad intelligendum, sed tantum fundare negationem repugnantiam ad intelligendum. Hoc enim est esse actum primum.

Contra enim, per illud actus primus non distinguitur ab actu secundo, quod potest conuenire actui secundo: sed esse substantiam completam: habere non repugnantiam: esse radicem personæ independentis potest conuenire actui secundo intelligendi, sicut esse substantiam completam, & habere non repugnantiam ad existendum, conuenit actuali existentie, ergo actus primus intelligendi non potest constitui per hoc quod sit substantia completa, &c.

Confirmatur, quia non implicat actualis intellectio, quæ sit substantia completa, existens à se, cuius differentia ultima sit actu cognoscere, illa nullo modo erit actus primus, ergo actus primus non constituitur formaliter, per rationem substantiæ, &c.

Secunda euasio.

Neque dicas secundo, etiam si nullus sit influxus realis intellectus diuini in suam intellectionem potest tamen ratio creata cum fundamento in re concipere intellectum diuinum, per modum influentis in actum ipsum intelligendi: sicut enim vis intelligendi concipitur ut radix volitionis, quia est aliquid præsuppositum volitioni, sic concipitur ut aliquid prius & præsuppositum, intellectioni actuali.

Sed contra: implicat ut ratio creata cum funda-

mento in re concipiat in Deo influxum intellectus in actuale intellectionem, si non sit in Deo talis influxus, sed ille influxus in Deo non est; alioqui esset distinctio, & receptio, ergo ille cum fundamento in re concipi non potest. Confirm. quia ut principium intelligendi sit actus primus non sufficit quod nostro conceptu sit aliquid præsuppositum, & ut ex eo inferatur actualis intellectio, alioqui intellectio esset actus primus respectu volitionis ergo ad actum primum non sufficit quod sit aliquid præsuppositum.

Neque dicas tertio, facile assignari posse prædicata quæ significant actum primum radicalem & formalem; nam in Deo est intellectium, ut quod, siue id quod intelligit, & est substantia intellectiua personata, nam actus secundus ut sic, est id quo intelligitur, non autem id quod intelligit.

Tertia euasio.

Sed contra: illud non est actus primus radicalis quod potest conuenire actui secundo formaliter ut sic, sed esse intellectium ut quod: esse substantiam exiguiam personæ potest conuenire actui secundo ut sic, non enim implicat actualis intellectio, quæ sit substantia completa existens à se, quæ sine dubio erit intellectium, ut quod, ergo, &c.

Deinde non implicat actus secundus existens à se substantialis, & subsistens ille erit intellectium ut quod, ergo, &c. Denique non magis concipi potest in Deo actus primus intelligendi, quæ actus primus existendi quem certum est nullum esse. Probi. ideo per te datur actus primus intelligendi, quia datur intellectium ut quod, sed datur etiam in Deo existens, ut quod, æternum ut quod, &c. Ergo debet dari actus primus existendi & æternitatis, &c.

Confirm. nam actus primus intelligendi non constituitur per solam non repugnantiam ad intelligendum quæ pura negatio est, actus autem primus est perfectio positua neque per negationem actualis intellectionis alioqui dum intellectus actu intelligit non esset actus primus, ergo constituitur per vim productiuam & receptiuam.

Solutio secundæ dubitationis. Ad primam Resp. disting. primam consequentiam: ergo in Deo est potentia, prout potentia significat non repugnantiam ad intelligendum concedo: prout significat principium intellectionis, nego. Nam Deus hoc modo est potens intelligere, quo est potens esse, non est autem potens esse, quod habeat principium sui esse, sed quia non repugnat ei esse. Deinde fateor non esse ibi actum secundum ubi non est actus primus saltem improprie dictus, prout significat non repugnantiam ad intelligendum: potest autem reperiri actus secundus sine actu primo proprie dicto prout significat principium effectuum, & receptiuum actionis. Vnde distinguitur similiter illa maior, ut sit in Deo actus primus intelligendi, sufficit ut possim concipere in Deo vim intelligendi per modum principij actui, & receptiui non concipiendo actuale intellectionem concedo: vim intelligendi, tanquam non repugnantiam ad intelligendum, nego. Dictum est sape quod potest in Deo concipi vis intelligendi tanquam non repugnantia, non tanquam principium intellectionis actualis. Denique fateor esse in Deo intellectium radicale, cum essentia (ut dixi) sit radix omnium quæ sunt in Deo. Sed nego illud intellectium radicale esse vim intelligendi in actu primo, alioqui daretur actus primus omnium attributorum, imò ut argumentabar, intellectio esset actus primus respectu volitionis quæ probatur per intellectionem ut radicem, intellectium ergo radicale non est actus primus quia non concipitur ut principium effectuum, & receptiuum intellectionis formalis; cum etiam illam contineat formaliter implicite, neque satis est quod concipiatur tanquam principium virtuale, & radix intellectionis, sicut aliorum attributorum

nam

nam ad actum primum requiritur actualē principium, quod non contineat actum secundum formaliter implicite.

Solutio
secundæ.

Ad secundam Resp. conced. dari potentiam generatiuam in Deo ; nego dari potentiam intellectuam propriè dictam. Ratio disparitatis est, quia potentia generatiua cum sit notionalis habet terminum notionalem verè productum, & realiter distinctum à producente, neque hoc pugnat cum diuina simplicitate, puritate, infinitate, cum non inducatur distinctio in essentia, neque terminus productus recipiatur in principio producente aut illud perficiat. Potentia verò intellectiua cum sit essentialis non posset habere terminum productum nisi essentialem, qui distingui non posset à principio producente, alioqui tolleretur Dei simplicitas, puritas, infinitas, sed hoc totum erit manifestius disputat. 6.

Solutio
tertiæ.

Ad tertiam Respond. illam esse difficultatem grauissimam de actibus liberis diuinis de qua dicitur postea plenius : obiter nunc dico scientiam liberam esse realiter solum actum secundum necessarium liberè terminatum ad obiecta ad quæ poterat non terminari. Si ergo Deus de nouo intelligeret aliquid quod nunc non cognoscit, non haberet actum aliquem realiter distinctum ab eo quem habet, sed haberet eundem actum secundum aliter terminatum. Ad vtramque confirmationem eadem distinctio neque videri debet, in qua nunc non moror.

Species &
habitus.

Colliges autem primò, ex dictis quod nulla in diuino intellectu potest concipi esse species impressa, neque habitus scientificus quia illius vtriusque munus est complere potentiam in actu primo, quæ in Deo nulla est.

Memoria.

Colliges secundò, intellectum, memoriam, reminisceniam quatenus sunt in Deo, nihil omnino aliud significare, quàm actum secundum scientiæ, id est actum cognitionem, & tendentiam substantialem in obiectum; memoria enim Dei est cognitio quæ semper cognoscit præterita vt præsentia. Deinde ille actus secundus non potest propriè dici actio, cum non sit productio termini distincti à principio producente, sed tantum est actus vltimus diuinæ substantiæ, & vitalis tendentia in obiectum: vel potius ipsa diuina substantia, se ipsa tendens in obiectum.

Vita diui-
na.

Colliges tertio, rationem vitæ diuinæ maximè propriè consistere in intellectione ac volitione : quia licet illæ non sint actiones, & productiones vt sunt essentielles, sunt tamen veræ tendentiæ actuales ipsius substantiæ in obiectum, in quo consistit ratio vitæ. Diuina enim substantia est per se vita, & actualis motio sui ipsius ad obiecta quæ cognoscit, & amat. Possunt autem hi actus vocari operationes & actiones, excludendo tamen semper rationem productionis, significando duntaxat actum tendentiam, & apprehensionem obiectorum.

SECTIO II.

De obiecto scientiæ diuinæ generatim.

Art. 1. 2. 3. 6. 9. 10. 11. 12.

Latissimus hîc campus est, quia latissimè diuina scientia se extendit : loquor enim hîc de obiecto solum materiali generatim, & quæro quid Deus sciat, potest autem dici vniuersum quod illud est omne scibile : quia infinita non esset scientia, si esset aliquid quod illa non actu sciret, sicut potentia non esset infinita simpliciter si esset aliquid quod illa non actu posset producere. Vnde scitur aliquid ab intellectu infinito, eo ipso quod est scibile : sed vt explicetur hoc distinctius videndum primò est quomodo Deus se ipsum cognoscit. Secundò quomodo cognoscit creaturas.

Tom. I.

§. I.

An & quomodo Deus cognoscat se ipsum.

Art. 2. & 4.

Sicut in cognitione creata sic etiam in diuina distingui solet obiectum materiale, & formale, motuum, & terminatum, primum, & secundarium. Materiale illud est quod cognoscitur : formale quod est ratio cognoscendi, & dat speciem actui. Motuum videtur coincidere cum formali : & terminatum cum materiali. Primum quod cognoscitur ratione sui : secundarium quod cognoscitur prout iunctum est alteri.

Prima du-
bitatio.

Ratio ergo dubit. est primò, quia si cognitio diuina prima & directa terminatur ad essentiam Dei vt est in se, terminatur etiam ad se ipsam, cum illa pertineat ad essentiam Dei vt est in se : sed implicat vt prima & directa Dei cognitio terminetur ad se ipsam, ergo implicat vt illa terminetur ad essentiam Dei vt est in se. Prob. minor, illa cognitio nō est prima quæ necessariò supponit aliam priorē, sed cognitio reflexa quæ cognoscit cognitionem, supponit priorem cognitionem directam, ergo implicat vt prima cognitio Dei cognoscat se ipsam. Imò sequeretur illam cognitionem esse directam formaliter, prout est formaliter reflexa. Neque dici potest quod prima Dei cognitio terminetur ad alia Dei prædicata. Nam si hoc est verū, prima Dei cognitio non terminatur ad essentiam vt est in se, sed ad essentiam prout substantia nostris conceptibus.

Secunda
dubitatio.

Secundò, si hæc cognitio Dei est reflexa supra se ipsam necesse est admittere in Dei cognitione infinitas formalitates. Nam prima cognitio reflexa distinguitur formaliter à directa : Secunda reflexa distinguitur formaliter à prima, & sic in infinitum. Deinde sequeretur dari cognitionem extra collectionem omnium cognitionum. Nam cognitio Dei cognoscit omnes suas cognitiones, sed cognitio vt est tendentia, distinguitur à cognitionibus vt sunt terminus, cognitionis, ergo præter cognitiones omnes datur aliqua cognitio. Denique necesse erit vt dentur plures cognitiones reflectentes quàm reflexibiles, & vt non dentur plures. Probo esse plures, quia omnes reflectentes sunt reflexibiles, omnes autem reflexibiles non sunt reflectentes, quia prima est reflexibilis non reflectens. Probo non esse plures, quia nulla est reflexibilis cui vna reflectens non correspondeat, alioqui non est reflexibilis.

Tertia du-
bitatio.

Tertio, Deus non potest cognoscere creaturas comprehensiuè, quin cognoscat ordinem essentialem quem habent ad Deum, ergo cognoscit etiam se ipsum in creaturis tanquam terminum huius ordinis, ergo cognoscit se ipsum in creaturis. Consequentia est clara quia non potest cognosci respectus, quin cognoscatur terminus huius respectus.

Prima
conclusio.

Dico primò, Deus se ipsum necessariò cognoscit tanquam obiectum motuum, formale, primum.

Ratio est quia intellectus infinitus, & nobilissimus, necessariò cognoscit nobilissimum intelligibile tanquam obiectum primum, motuum, & formale, vnde dixit S. Thom. art. 2. quod Deus cognoscit se ipsum, per se ipsum, & in se ipso, quia ipsa substantia Dei est species expressa representans se ipsam : est enim obiectum motuum, & ratio cognoscendi. & Synesius eleganter (ait) *Quod Deus sui ipsius oculus est, quia se ipsum & sua omnia per se ipsum immediate intuetur.* Difficultas esse potest de attributis, & personalitatibus, an pertineant ad obiectum motuum : an ad terminatum. Respond. illa omnino pertinere ad obiectum primum non autem ad secundarium vt alias dixi, pertinere tamen possunt ad obiectum terminatum, quia videntur in essentia in qua sunt formaliter.

K 2

Dico